



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XLVIII. De Qvodam milite Swantepolci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Conradus Landgr. Thur. V. Mag. General. Ord. Teut.

Poppo de Osterna II. Magister Provincialis in Prussia.

hic factum, sed pluries in (b) aliis locis ubi in absentia virorum munitiones fuissent pericitatæ, si non restitisset audacia mulierum.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. XLVII.

(a) Referunt hoc Historici nostri ad An. 1244.

(b) Ob similem foeminarum Culmensium virtutem, Privilegium illud Culmense foemini in familia herciscunda favorable datum esse perhibetur. Qvamvis autem hujus rei in antiquis Scriptoribus firmum non reperiam fundamentum, confusè tamen hoc ipsum Dusburgensis hoc loco innuere videtur.

CAP. XLVIII.

*De**Quodam milite Swantepolci.*

Fuit quidam miles de familia Svvantepolci, qui fratres Domus Teutonicæ adeò formidabat, quod viscera ejus contremuerunt, dum audiret eorum nomina recitari. Unde accedit hoc tempore, quod idem Dux causa solatii secessit ad quandam vilam, & ad majorem gaudii exercitationem vocavit quosdam, alios milites ad se & ait: Mittamus unum famulum ad campos, qui post primum ferculum festinus revertatur & referat fratres cum exercitu advenire, & videamus quomodo iste miles timidus se disponat, quod cum eis multum placeret, missus fuit nuncius ad hujusmodi negotium peragendum. Fratres quibus hoc proditum fuit, cum venissent non longe à dicta villa, nuncius jam exierat, & videns fratres cum armigeris venientes, stupefactus & præ nimio timore pallidus effectus, cum planctu magno & extracto gladio reversus ad Svvantepolcum, ait: Citò

T 3

fur-

150 PARS TERTIA

Conradus Landgr. Thur. V. Mag. Gen. Ord. Teutonici.
Popo de Osterna II. Magister in Prusia Provincialis.

surgite & recedite, qvia revera fratres cum exercitu veniunt. Illi qui hoc præordinaverant, riserunt; Sed miles ille timidus audiens nomen fratrum, statim saliit ultra mensam & recessit. Sed nuncius ingeminans verba priora, seriosè & cum juramento confirmans, dixit, fratres cum exercitu jam esse in vicinio. Unde Dux aliis ridentibus recessit cum uno famulo, quem quidam Frater qui ad hoc fuerat deputatus seqvens, in quodam flumine, dum Ducem non posset comprehendere famulum interfecit, alii fratres ceperunt & occiderunt, quicquid ibi de familia sua mansit.

CAP. XLIX.

De

Navali Bello.

Frater Popo Magister solitus de salute fidelium, misit fratrem Conradum dictum Bremer cum multis armigeris, ut tres naves oneratas victualibus duceret in Elbingum, qui cum propè veniret Santirium, invenit Svantepolcum & multos de populo suo cum XX. navibus exspectantes, quos cum Frater Conradus videret, non tanquam meticulosus expavescens, sed velut magnanimus in Domino confisus navibus suis virtute remigantium velociter currentibus cum magno impetu ipsos viriliter est aggressus, sic quod pluribus de navibus Ducis submersis alias fuerunt confractæ. Unde hostes videntes eos vicinos, littori accesserunt cum lapidibus, projicientes, Fratri Conrado unum dentem eruerunt, & plures alios læserunt, alii salvi in Elbingum pervenerunt.

CAP.